

Hermann Heltberg Martin Frank


Proemii Logici De Divisione Philosophiae Disputatio Secunda

Rostochii: Myliandrus, 1609

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729079325>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





Annunte & Benedicente Domino
Procemij Logici
DE DIVISIONE
PHILOSOPHIÆ
DISPUTATIO SECUNDA.

Quam
In Inclita Rostochiensium Academia
PRÆSIDE
M. HERMANNO HELTBERGIO,
Walsrodâ Lunaburgico

Ventilandam proponit
MARTINVS FRANCO
Plaviensis Megap.

Ad diem 6. Decemb: loco & hora
consuetis.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri, Anno clb lbc IX.

*Amplissimis ac Consultissimis, Pietatis vera en-
comio, virtutis ornamine, sapientia laude & multijugâ rerum
politicarum experientia valde conspicuis Viris,*

DN. CHRISTIANO TURMANNO,
suo charissimo quia cognato.

DN. MATTHÆO FRANCONI,
Patruo suo ut unico ita maximè colendo.

Inclytæ Reipub. Plaviensium Consulibus
dignissimis.

DN. PAULO TRAINERO J. U. Can-
didato & Senatori laudatissimæ Reip. Freibergensium
Hermundurorum integerrimo, olim hospiti suo
perquam jucundo.

*Musarum, Musarumq; cultorum Fauto-
ribus munificis.*

*Eximio, Aequi, lusti & religiosissimi amanti, pietate vera,
virtute laudata, & multiplici rerum politicarum usu
præstantissimo Viro,*

DN. IOHANNI FRANCONI Ecclesiæ
Plav. jurato, fidelissimo, & civ. ib. prim.
Parenti suo dilectissimo.

*Onis Agnatû, Cognatû, Mæcenatibus, Patronis & Fautoribus suis
omnibus & singulis ut bene de se meritis ita pluri-
mum venerandis.*

*Hanc Philosophici exercitiij tesseram in grati animi Syngrapham
& perpetua observantia arrham
offert, dicat, consecrat,*

Martinus Fran co.

Prooemium.

Proximâ disputatione, definitionē Philosophiæ unâ cum objecto, efficiente, & fine sumus contemplati. In hac quænam ejusdem sit divisio, erit videndum. Cogimur autem in præsentî, quàm in proximâ, pro materiæ ubertate, aliquantò esse longiores. Nam discrepantes de philosophiæ divisione hac tempestate inter Philosophos sunt opiniones. Quidam enim tres, quidam duas, quidam alias Philosophiæ constituunt partes. Harum itaq; quænam optima, maximeq; menti Aristotelis & veritati sit consentanea, hac disputatione experiemur.

Theorema Primum.

Divisio Philosophiæ non est una eademque apud omnes.

I. Non una eademq; de Philosophia divisione Philosophorum, sed discrepantes, præsertim hodierno seculo sunt opiniones. Alij enim aliter eandem dividere solent. Perer. lib. de communib. corpor. natural. princip. & affect. cap. 2. Francif. Tolet. in prooemio Log. sua cap. 2. Jacob. Martini lib. 1. exercitat: Metaphys. exercit. 1. theor. 2. Gregor. Horst. in prodrom. suo Log. cap. 6. Aegid. Strauch. Centur. 1. quest. illust. Ethicar. disp. 1. quest. 2.

II. Primò enim Stoicorum philosophia in tres partes circumfertur divisio in Logicam videl. Physicam & Ethicam, per Logicam exhibent Logicam specialiter sic dictam, & Rhetoricam & Grammaticam. Physica nomine ipsis Physica specialiter sic dicta

Stoici in Logicam, Physicam & Ethicam dividant philosoph.

As

dicta

dicta & Metaphysica & Mathematica venit. Per Ethicam denique, Ethicam ipsam, & politicam & Oeconomicam volunt intellectam, Cic. lib. 4. de finib. Plutarchus lib. 1. de placit. Philosoph: Diogen. Laert. in vita Plat. Euseb. lib. 11. de preparat. Evang. cap. 1. Alcinous in lib. 1. de Doctrin. Platon. Fonseca lib. 2. Metaphys. cap. 3. quest. 3. sect. 3.

Peripatetici in
Theor. & practicum
partuntur.

III. Secundò Peripatetici Philosophiam in partem Theoreticam & practicam dissecunt. Ad Theoreticam partem Metaphysicam, Physicam & Mathematicam: & ad Practicam, Ethicam, Politicam, & Oeconomicam referunt. Quod verò Logicam, Rhetoricam & Grammaticam attinet, dicunt eas non partes, sed instrumenta philosophia esse. Aristoteles lib. 2. Metaphys. cap. 1. text. 3. Zabarell lib. 1. de Nat. Log. cap. 2. Simplicius in præfat. in categor. Benedictus Perer. lib. 1. Phys. cap. 2. & Jacob. Mart. lib. 1. exercit. Metaphys. exercit. 1. theor. 2. fol. 17.

Ramæ in gen. & sp.

IV. Ramæ Philosophi, Philosophiam in duas partes, Generalem & specialem dividunt. Ad partem generalem referunt Logicam seu ut ipsis placet Dialecticam, Rhetoricam & Grammaticam. Ad partem specialem verò reliquas disciplinas philosophicas in peripateticâ divisione, exceptâ Metaphysicâ, enumeratas trahunt. Atq; hæc sunt celebriores hodierno seculo philosophia divisiones, quarum quæ verior & reliquis anteferenda sit, in sequentibus theorematibus demonstrabimus.

Theorema Secundum.

Divisio Philosophiæ peripateticorum in Theoreticam & practicam est omnium optima.

I. In præcedenti theoremate tres celebriores hodiè circumferri Philosophiæ divisiones, videl. Stoicorum, Peripateticorum, & Ramæorum, diximus. Harum verò solam secundam, quæ in theore-

theoreticam & practicam partem Philosophia dividitur, esse legitimum, nostroq; huic instituto, & veritati convenientem, affirmamus. Antequam autem huius theorematum veritatem demonstremus, prius quid Theoretica, quid practica Philosophia pars sit, videbimus.

II. Est autem Philosophia pars theoretica, qua nudam tantum rerum circa quas versatur cognitionem inquirat, & in ea tanquam ultimo suo fine acquiescit. Atq; huc pertinet Metaphysica, Physica & Mathematica. Haec enim disciplina cognitio suo circa quod versantur objecto, in illa cognitione tanquam suo fine acquiescunt: Sic Metaphysica cognito primo, quid Ens sit, quamquam eius principia & affectiones & quamquam species Entis sint, in illa cognitione acquiescit, nec quicquam amplius in Ente vel agere vel operari desiderat. Sic Physica quando quid sit corpus naturale, quamquam eius principia & affectiones, & species sint cognovit, in illa cognitione acquiescit. Sic Mathematica cognita quantitate, cognitis eius speciebus & affectionibus, in cognitione illa tanquam ultimo suo fine, subsistit.

III. Practica vero Philosophia pars est qua non in nuda rerum circa quas versatur cognitione acquiescit, sed insuper ad agendum homines impellit. Atq; sub hac philosophia parte continentur Ethica, Politica & Oeconomica. Haec enim disciplina non in nuda rerum circa quas versantur, cognitione, tanquam ultimo suo fine acquiescunt, sed agere insuper aliquid desiderant. Sic Ethica non solum quid sit summum bonum, scire desiderat, sed insuper actiones ad summum bonum consequendum instituit: sic non solum quid sit virtus cognoscere laborat, sed insuper etiam secundum virtutis praescriptum agere satagit. Benedictus Perer. de communib. omnium rer. natural. princip. & affectionib. lib. 1. Jacob. Mart. lib. 1. Exercitat, Metaphysic. exercitat. 1. Theor, 2. Gregor. Horst. in Prodem. suo Log. sect. 1. cap. 5.

partes philosophiae
in Theor. & pract.
etica differunt
pna & fine

IV. His ita expeditis, jam fundamentum divisionis Philosophiae in Theoreticam & Practicam videbimus. Primò enim habet hac divisio partes, quod in quavis verâ & legitimâ divisione requisitum est maximè necessarium, à se invicem distinctas. Differunt autem haec duae partes Philosophiae non uno tantum sed varijs modis. Primò enim objecto seu materia circa quam distinguuntur. Philosophia namq; Theoretica circa res necessarias & perpetuò veras; Practica verò circa contingentes & quae in nostra positae sunt potestate, versatur. Secundò etiam diverse sunt haec partes ratione finis quem quilibet intendit. Finis enim Theoreticae disciplinae est tantum nuda rerum necessariorum cognitio; Practica vero non solum cognitionem, sed insuper etiam actionem pro fine agnoscit. Benedict. Perer. lib. 1. Phys. cap. 3. Jacob. Mart. lib. 1. exercit. at. Metaphys. exercit. 1. theor. 2. Egid. Strauch. centur. 1. quest. illust. Ethic. disputat. 1. quest. 2.

Materia

Finis

ille est philosophus
qui ita est perfectus,
ut, & sine fine
nem adeptus.

V. Deinde etiam haec duae partes, quod etiam legitima divisionis consequens est, in unam aliquam naturam conspirant. Qualibet enim harum partium ad perfectionem nostram, quam disputatione proxima, theoremate sexto finem Philosophiae fecimus, omnia sua instrumenta dirigit, & ad hunc unicum finem, ut perfectioni nostrae per lapsum Adami amissa, rursus nos restituat, qualibet pars tendit. Quia verò perfectio nostra in duobus consistit, in vero cognoscendo & deinde benè agendo, seu quod idem est, opera conditoris cognoscenda, & deinde in societate humana inculpate vivendo; necesse etiam erat ut duas Philosophiae partes, quarum beneficio utrumq; prestare & assequi possemus, constitueremus. Dato enim duplici Philosophiae officio, duae etiam ut illius partes dentur necessum est. D. Gregor. Horst. in Prodrum: suo Log. sect. 1. cap. 5.

VI. Possumus insuper etiam hujus, quae eam comprobant & ejus veritatem demonstrant, fundamenta & rationes alias asferre
innit-

innumeras. Primò enim ejus veritatem astruere conabimur hoc
syllogismo.

Dato duplici animi morbo duplex etjam hos morbos re-
pellendi dabitur medicina.

Atqui datur animi morbus duplex.

E. duplex etjam hos morbos repellendi dabitur medicina.

Majorem manifesta veritatis esse, quis non videt?

Omne enim noxium, & nobis nociturum repellendum esse
nemo sanus negabit.

Minorem probo ita: Quia per lapsum primorum paren-
tum in duplicem animus noster incidit morbum. Primo enim sa-
cultatem res cognoscendi & deinde benè agendi, testantibus sacris
litteris, amisimus. Jam autem si Philosophia huic duplici morbo
debet mederi, utiq; dua philosophia partes, quarum una pulcher-
rimas & praeclarissimas Dei creaturas cognoscere & contempla-
ri; altera modum rectè & benè vivendi, nos docet, erunt con-
stituenda.

*pulcherrimas. Si creaturas cognoscere & contempla-
tamplur.
modum benè vivendi scire
ille est philosophus.*

VII. Deinde etjam naturale illud nobis insitum sciendi desi-
derium, hujus divisionis veritatem asserit & confirmat. Omnis
enim homo naturaliter scire desiderat, primum ea, quae conferunt
ad tuendam degendamq; vitam, tam publicam quam privatam,
quod Philosophia moralis praestat: postea etjam eas res quae licet
nihil conducant ad actiones humanas & civiles: tamen quia
habent pulcherrimam contemplationem veritatis, vehementer
appetuntur ab intellectu nostro: quarum rerum scientiam largi-
tur nobis Philosophia Speculatiua. Benedict. Perer. de commu-
nib. omnium rerum natural. princip. & affectionib. lib. 1.
cap. 3. Possemus insuper plura ad hanc rem confirmandam ad-
ducere & asserre argumenta, sed ad quid quaso in re tam manife-
sta & perspicua tam multis verborum ambagibus indigemus. His
itaq; tanquam satis manifestis & perspicuis, relictis ad e arandem
parium subdivisionem nos convertemus.

Practica.

Theoretica.

Theo-

Theorema Tertium.

Sub Theorema philosophiæ pars speculativa in Meta-
physicam, Physicam, & Mathematicam sub-
dividitur.

Sub Theorema philosophiæ pars speculativa in Meta-physicam, Physicam, & Mathematicam subdividitur.
Philosophiæ pars speculativa in Meta-physicam, Physicam, & Mathematicam subdividitur.
Philosophiæ pars speculativa in Meta-physicam, Physicam, & Mathematicam subdividitur.

I. Diximus in precedente theoremate, Philosophia partem speculativam circa res necessarias cognoscendas occupatam esse. Sed quia res necessaria non sunt unius generis tantum, sed in triplici potissimum differentia constituta. Ideoq; etiam pro triplici harum rerum necessariorum differentia, tripliciter pars philosophiæ contemplativa, qua circa illas versatur, erit dividenda. Benedictus Perer. de communib. rerum natural. princip. & affectionibus lib. 1. cap. 5. Jacobus Mart. lib. 1. exercitat. Metaphys. exercitat. 1. theor. 3. Gregor. Horst. in Prodromo suo Log. sect. 2. cap. 1.

II. Quadam enim res necessaria extra omnem materiam sunt constituta, & sine mentione materiae possunt cognosci. Atq; harum rerum cognitionem nobis pollicetur Metaphysica. Est autem Metaphysica scientia qua Ens quatuor, Ens ejusq; affectiones & species contemplatur. Benedictus Perer. de communib. rerum natural. princip. & affectionib. lib. 1. cap. 5.

III. Sunt deinde alia res necessaria quae extra materiam non sunt constituta, nec sine materia possunt percipi & cognosci. Jacob. Mart. lib. 1. exercitat. Metaphysicarum exercitat. 1. theorem. 3.

Atq; harum rerum Physica, quae corporum naturalium, eorumq; principiorum & affectionum & specierum indigitatur scientia, cognitionem tradit.

IV. Sunt deniq; quadam res necessaria quae quidem in materia haerent, absq; illa tamen sciri & cognosci possunt. Atq; harum rerum scientiam Mathematica tradit. Est autem Mathematica

matica scientia, qua circa quantitatem à materia abstracta
ejusq; species & affectiones versatur. Benedictus Peverius lib. 1.
de communibus rerum naturalium princip. & affectionib. cap. 5.
Jacobus Mart. lib. 1. exercit. Metaphysicarum exercitat. 1. theo-
rem. 3. Gregor. Horstius in Prodrom. suo Log. sect. 2. cap. 1.

Theorema Quartum.

Philosophiæ pars Practica in partem
communem & propriam dividitur.

I. Diversa sunt Philosophorum de hujus philosophia partis
divisione, opiniones. D. Gregor. Horst. in prodromo suo log. sect.
3 cap. 1. Quidam enim in tres partes Ethicam, Politicam, &
Oeconomicam eam dividere solent. Hujus sua divisionis tale affe-
runt fundamentum: tria inquit, sunt, qua nos beatos reddere
& efficere valent; primum est, si vir bonus quis sit, secundum se
commodus civis, tertium si frugi paterfamilias quis sit. Atq; vi-
rum bonum Ethicam, bonum civem Politicam, bonum Patrem-
familias Oeconomicam efficere, asserunt. Hinc ita inferre vi-
dentur.

Quot sunt objecta & fines Philosophia practica, tot etiam
ejusdem constituenda sunt partes.

Atqui tria sunt objecta & tres fines Philosophia practica.

Ergo etiam tres philosophia practica erunt constituenda
partes. Hujus Syllogismi evidentiam ex modò dictis evincere
conantur.

Sed nos his non attentis, Philosophiam moralem, in partem
communem & propriam rectius & convenientius dividi asseri-
mus. Rationes autem ob quas illam rejiciamus, hanc verò re-
tineamus, si quis à nobis quasverit, habebimus in promptu, & in
ipso disputationis conflictu ea de re pluribus sumus acturi.

B

Nostram

Nostram autem in theoremate propositam sententiam corroboramus hoc syllogismo.

Si quadam sunt principia fundamenta, & semina communia, qua in genere quodnam sit officium boni viri cujuscunq; status & ordinis is fuerit, sequitur etiam quod quadam disciplina generalis qua horum principiorum & fundamentorum doctrinam, tradat, detur.


Atqui dantur talia principia & fundamenta communia.

Ergo etiam ut quadam disciplina communis detur, qua eorundem naturam & doctrinam proponat, necessum est.

Ex hoc syllogismo tanquam vero sequitur, si datur aliqua disciplina generalis practica philosophia, utiq; etiam quadam pars ejusdem propria seu specialis dabitur. Omne enim generale respicit speciale. & omne speciale respicit generale, & propter speciale aliquid dicitur generale & vice versa.

Est autem pars Philosophia practica generalis, qua principia, fundamenta & semina communia, qua in genere, quodnam sit officium boni viri cujuscunq; status & ordinis is fuerit, tradit, vocaturq; proprio suo nomine Ethica specialiter sic dicta.

Pars vero specialis seu propria Philosophia moralis pars est, qua ad singularia magis descendit, & cuiq; ordini & societati precepta illa communia in generali parte proposita accommodat. Subdividitur autem haec pars rursus in duas partes. Politicam que Rempubl. bene administrare & Oeconomicam qua familiam seu domum recte regere, docet. Piccol. in introd. ad decem grad. civil. Jacob. Mart. lib. 1. Exercitat. Metaphysic. exercitat. 1. Theor. 4. Gregor Horst. in Prodrum. suo Log. sect. 1. cap. 5. Henricus Velsenius Disputat. Ethicar. I.



Theo-

Theorema Quintum.

Stoicorum Philosophiæ divisio in tres partes; Logicam, Physicam, & Ethicam, est illegitima.

I. Quemadmodum omnes qui in proponenda quadam re philosophica suam operam ponunt, prius ea de re proponere suam sententiam, & deinde aliorum falsas & discrepantes opiniones refutare solent: ita etiam nos, qui in præcedentibus theorematibus nostram cum Aristotele & veritate congruentem de Philosophiæ divisione exposuimus, sententiam, in subsequentibus, falsas & discrepantes aliorum à nostra divisione, divisiones, proponemus & earundem falsitatem demonstrabimus. Non enim satis est nosse quid sequi, & pro rato habere debeamus, sed insuper etiam ut falsas aliorum sententias suppressere, & resistere possimus, requiritur.

II. Stoicorum autem Philosophiæ divisionem in tres partes potissimum duas ob causas rejicimus. Primò enim nimis latè & improprie Stoici utuntur vocabulis Logica, Physica, & Ethica.

*Ut in res
Stoicorum divisio.*

Per Logicam enim omnes disciplinas instrumentales ut Logicam proprie sic dictam, Rhetoricam & Grammaticam, intelligunt. Vocabulum autem Logica apud Philosophos unicam tantum disciplinam instrumentalem videlicet illam qua rationem informat, denotat.

Deinde etiam nimis lata & inconveniens attribuitur significatio vocabulo Physica, quo totam philosophiæ partem speculativam nobis exhibere conantur. Vocabulum autem Physica proprie loquendo illam tantum denotat disciplinam, qua de corporibus naturalibus, eorundem affectionibus, & speciebus agit.

improprie verò attribuitur, Metaphysica, & Mathematica, quæ
etiam partibus Philosophiæ speculativis sunt annumeranda.

obju:

Deniq; etiam adeò largam Ethicæ significationem Stoici in-
nuere videntur, ut etiam Philosophiæ practicæ pars specialis
partes duas Politicam, & Oeconomicam sub se complecti debeat.

Quod tamen vocabulum si proprie, ut apud Aristotelicos, acci-
piatur, solam tantum Philosophiæ practicæ partem generalem seu

f

communem videl. Ethicam specialiter sic dictam, denotat. Quis
autem non videt, omnia hæc vocabula improprie tantum & non
in propria suâ significatione hic sumi & accipi. Sed quia in le-
gitimis divisionibus propria & genuina tantum vocabulorum
afferri debet significatio. Ideoq; merito hanc divisionem stoico-
rum, quia hoc ipsum observat minimè, & cum Legibus & condi-
tionibus bonæ divisionis, pugnat, tanquam illegitimam & erro-
neam reijcimus & improbamus.

Stoicorum

III. Secundò etiam hæc divisio disciplinas instrumentales seu
rationales cum principalibus seu realibus, quod minimè fieri de-
bebat, confundit. Logicam enim per quam Rhetoricam & Gram-
maticam nobis simul exhibet, Philosophiæ partibus falsò annu-
merat. Non enim instrumenta cum ijs rebus quibus instrumen-
ta sunt erunt temerè confundenda. Sed quia hac de re in Ramaæ
divisione que eodem vitio laborat, sumus acturi. Ideoq; præ-
sentem controversiam, de disciplinis instrumentalibus, in subse-
quens theorema, transferemus.

Instrumenta-
les cum reali-
bus confundit

Theorema Sextum.

Ramæorum Philosophiæ divisio in par-
tem generalem & specialem est reijcienda.

I. Supra in theoremate primo Ramaeam Philosophiæ in partem
generalem, & specialem divisionem attulimus, & plerosq; Ra-
maeos

maos per partem generalem disciplinas instrumentales, ut Logicam, Rhetoricam & Grammaticam: per partem specialem disciplinas omnes reales, exceptâ solâ Metaphysica, nobis offerre, asfirmavimus. Hoc verò in theoremate quid ponderis & veritatis hæc divisio in se contineat, & num cum mente Aristotelis & veritate consentiat, videbimus.

II. Reijcimus autem Ramaorum Philosophiæ divisionem partim autoritate, partim rationibus. Autoritate eam reijcimus præstantissimorum Philosophorum, ut Aristotelis, Zabarella, imò omnium peripateticorum, qui Logicam, Rhetoricam & Grammaticam non partiibus sed instrumentis Philosophicis annumerarunt.

III. Rationes ob quas hæc disciplinas Philosophiæ partibus non annumeramus habemus tales:

1. Quia non versantur circa Ens reale, quod in omni parte Philosophiæ requiritur, sed tantum in nudis figmentis & noëmatibus secundis efformandis occupata sunt: hinc ita inferre licet:

Quodcumq; non versatur circa Ens reale, illud pars Philosophiæ esse nequit.

Atqui disciplina instrumentales non versantur circa Ens reale.

E. Philosophiæ partes esse nequeunt.

Utriusq; propositionis evidentia tum ex consensu omnium philosophorum, tum ex modò dictis colligi haud difficile potest.

2. Notum est, omnem partem Philosophiæ sive sit theoretica NB sive practica propter se & non propter alias disciplinas ad veritatem aspirare. Notum etiam hoc est, disciplinas instrumentales non propter se, sed propter reliquas disciplinas, iisdem mediis & instrumenta in qualibet re verum inveniendi, præbendo, ad veritatem tendere & aspirare. Ex quo etiam disciplinas instru-
mentar

mentales partibus Philosophia essentialibus non annumerandas esse, colligi & concludi potest.

3. Notorium insuper & hoc est, omnem partem Philosophia aut speculativam aut practicam necessario esse Logicam autem neq; speculativam, neq; practicam esse, sed utriq; parti speculativa & practica tantum instrumenta prabere, ad finem quem intendunt obtinendum, quis non videt? Ex quo iidem Logicam & reliquas disciplinas instrumentales, Philosophia essentialiam non ingredi, concludimus. Plura etiam possemus huc adducere & asserre argumenta, sed haec pauca in re tam manifestia & perspicua nobis sufficere poterunt.

Corollaria.

An detur sol? eadem res est.
An detur Metaphysica? affirmatur contra Petrum.

I I.

An propterea haec duae discipline, Metaphysica & Logica, quia versantur circa idem objectum, sint confundenda? Negat. contra eundem.

I I I.

An doctrina causarum pertineat ad Logicam tanquam ad propriam suam sedem? Minimè.

4. *An*

IIII.

An Ramei quando in Logicis agunt de axiomatico falso, sibi contradicant, & aureas suas violent leges? Omnino.



Ad Humanissimum & Doctissimum
Iuvenem,

Martinum Francovium

Plaviensem,

Respondentem & amicum suum
singularem.



*Vi colit ingenuas & claras sedulus
artes*

Is clari verè dignus honore viri.

*Hoc quia tu MARTIne diu, Doctissime,
prestas*


Et tibi cura sacras accoluisse DEas.


Quare

*Quare quis te non felicem terq̄ beatum,
Exindè affirmet, fautor amande virum.
Perge ita, sic claros condis tibi mente the-
suros liquores.
Perge ita, sic pietas, officiumq̄ jubent.*

M. Hermannus Heltbergius
Walsrodâ - Lunæburgicus.







306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document